Carmelitae Discalceati. Conclusiones philosophicae ex tribus libris de anima.

CONCLVSI-
ONES
PHILOSOPHICÆ.

Ex Tribus Libris de ANIMA,

Ad Mentem Ariſtotelis &

D. THOMÆ

Explicatæ.

Et â

FF. CARMELITIS DISCALCEATIS

Publicæ Concertationi.

Sub tempus Sacratiſſimi JVBILEI.

EXPOSITÆ.

Anno Domini, 1651. Menſe Septembris die

CRACOVIÆ,

Apud LVCAM KVPISZ, S.R.M. Typ.

In
ARMA WARSICCIORVM VETVSTISSIMA.



DEI VERBVM, Alpha dicitur. *Apoc 1. Cap.*

Alpha Dei Nomen, gaudet monogramma vocari
Numen; ſic VERBO litera ſeruit Aleph.
Stemma Domus veſtræ, geminum manet Alpha; ligari
Libertas vetat id: Mars ligat illud, & Ars.
Cerne, tridens Marti micet vt: quid conſonet Arti?
Id ſonat: hæc ſuperos litera ſpectat amans.
Perlegat ipſe Polus, noſcet conforme Tonanti
Nomen id; Hæc VERBO, litera nota DEO.

Illustrissimo & Magnifico Domino,

D. CASIMIRO

DE WARSZYCE.

WARSZYCKI

PALATINIDÆ MASOVIÆNSI, &c. &c.

DE rupeo Carmeli Parnaſso in Ariſtotelicam Animatæ Scientiæ Palæſtram; Pallas noſtra, Tuis ABDANCIIS inſtructa Armis procedit, Illuſtriſſime ac Magnifice Domine. Sed quid eſt, quod Tuis Illuſtribus inſignita Armis, in Olympicum ſcientiæ campum, cum hoſte congreſſura properat? quid ſub Echidneum Bellici Stemmatis Tui ſignum, velut ſub Inuictiſſimum, quo protegatur, ſcutum, anhela contendit? An non decebat magis peltis, Sardorumq; armatam pugionibus? nunquid non conuenientius videbatur, Romanorum Athenienſium, Carthaginenſium, Pænorum, Troianorumq; clypeis, lectiſſimo colorum genere diſtinctis, vel draconibus, Leonibus, ac Elephantis, aut Mineruis, Vliſſibus, Neptunis, nec non cæteris ſapientiſſimæ Antiquitatis Numinibus inſignitis inſtructam? Numquid inconcinnum fuerat, Lacedæmoniorum lanceis, Medorum falaricis, Perſarum romphæis, & alterius exemplo Dianæ, Sariſſis, iaculis acinacibus, ſagittisq; horridam, Bellacem Palladem noſtram, medias inter Philoſophicas legiones, inſilire? Glorioſſimam & ſic armata fortaſse, tuliſſet victoriam, ſed vt auguſtiores pariat triumphos, Lerneis Martiæ Vetuſtatis poſtpoſitis Monſtris ad ABDANCIA Tuæ Protectionis Arma, maluit declinare. Præſciuit namque, quantæ ſit felicitatis, ſub ABDANCIIS Nobiliſſimæ Domûs Tuæ Armis decertare: Nouit illa bene, Illuſtria Tua Arma, tribus lineis, ab imo ſimul iuncta, ſurſumq; diſiunctim tendentia, victorioſas lauros, triumphalesq; palmas portendere. Vnde etenim in Illuſtriſſima Do-

mo Vestra, tam frequentes victoriæ & triumphi, quam ab Armis? vnde amplissimi honores, & sublimes dignitatum gradus, quam ab Armis? vnde honoratissimæ Thesaurariorum Claues, & imperatoriæ clauæ, si non ab Armis? Vndè Senatoria Subselia, & præcelsa Palatinatûs fastigia, nisi ab ijsdem Armis? Hæc, hæc, eadem Arma, & Tuam florentissimam Iuuentutis ætatem, Illustrissime ac Magnifice Domine, condecorant, & magnum quid ominantur. Sed quid ominentur, cùm iam per ingenitæ Tuæ virtutis Nobilitatem, & per Clarissimum sanguinis Tui Decus, Aurum Auro, vel potius, Arma Armis, Illustrissimorum exemplo WARSICCIORVM addere; cum iam Fabios, Metellos, Hercules, & Catones, integerrimâ vitâ, virtute, Scientiâ. Famâ, ac Religione, æmulari: cum Tua signa Militaria, non Romanorum instar, alieno Ducis nomine, sed hæreditariâ, geminata litera VV notare, iam iamq; hostes in triumphum ducere videaris. Et quia tantopere, Sarmatico Polo, Martiæ Magnanimitatis Tuæ illuxerint Arma, ad hæc Pallas nostra, & protegenda & fouenda, humillime recurrit. Hanc ergo Tibi Sacratam dicatamq; benigno serenoq; affectu prosequi, & sub præfatis Illustribus Tuæ protectionis Armis præliari, vincere, ac triumphare patiaris.

CON-

CONCLVSIONES PHILOSOPHICÆ Ex Tribus Libris de ANIMA.

I.

INter omnes Partes Philoſophiæ naturalis, nobiliſſimum obtinet locum Scientia Librorum de Anima. Cuius ſicut obiectum vt Quod. nimirum Corpus animatum. Cæteris eiuſdem Philoſophiæ Naturalis inadæquatis obiectis eſt excellentius, Ita eidem maiorem præ omnibus tribuit dignitatem.

II.

ANima ergo, quæ dicit rationem conſtitutiuam corporis animati, etiam vt includit Rationalem, duplici ab ariſtotele Definitione definitur. Quarum prima eſt & hæc eſſentialis, Anima eſt Actus primus Corporis Phiſici, organici, potentia vitam habentis. Secunda verò Deſcriptiua nimirum. Anima eſt, quo viuimus, ſentimus, mouemur & intelligimus primò.

III.

DIuiditur verò ab Ariſt: adæquatâ diuiſione in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Rationalem. Quæ Diuiſio non eſt Analoga, ſed ſuo modo vniuoca. Cum hac tamen ſtat vt vna in altera contineatur formaliter: ſcilicet vegetatiua in ſenſitiua, & vtraque in Rationali. Quatuor rurſus modi viuendi numerantur, vegetatiuum, ſenſitiuum, locomotiuum & intellectiuum.

IV.

LIcet Anima Rationalis, ſicut & cæteræ, quæ ſunt Animæ Animalium perfectorum non ſint diuiſibiles. Cor-

pora

pora tamen ab eis informata, diuersas habere partes ad suas operationes ritê peragendas necesse est. Hæc autem diuersitas partium, non prouenit ab ipsismet animabus, sed ab accidentibus in eis repertis. Sicut & diuisibilitas animarum imperfectarum à Quantitate.

V.

SAnguis naturalis, dentes, capilli, & cætera, quæ spectant ad integritatem Animalis, informantur eadem Anima, quâ totum Animal, saltim imperfecte, non tamen illa, quæ extra illud ordinantur. Sed habent suas formas substantiales, distinctas à Forma Animalis. Quod etiam de sanguine Nutrimentali asserimus.

VI.

QVinque sunt genera potentiarum Animæ, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, intellectiuum, & appetitiuum. Quarum organicæ; immediatè subiectantur in coniuncto ex corpore & Anima vt in subiecto adæquato, non organicæ verò in ipsamet Anima.

VII.

ANima vegetatiua, tres habet potentias, realiter & essentialiter distinctas, scilicet potentiam Nutritiuam. Augmentatiuam & Generatiuam. Potentia autem Nutritiua, non consistit in temperamento primarum Qualitatum, vel in solo calore naturali, sed est Potentia his superior vitalis, vtens prædicto calore, tanquàm instrumento. Cuius vnitas & distinctio specifica, sicut & omnium aliarum potentiarum, desumitur ab actibus, & obiectis formaliter sumptis. Vnitas verò & distinctio realis, abeisdem actibus, realiter distinctis, & obiectis formaliter diuersis.

VIII.

SEnsibile externum, diuiditur in Sensibile proprium, commune & per Accidens. Commune autem rursus subdiuiditur

diuiditur in quinq; membra, nimirum, Motum, Quietem, Numerum, Figuram, & Magnitudinem. Quæ tamen non imprimunt sensui speciem distinctam, à specie sensibilis proprij; Sed eam tantum modificant.

IX.

POsitum immediate supra sensum sensibile externum, impedit sensationem, sicut & vehemens, non solum vt agens naturale, verùm etiam vt agens intentionale, lædit ipsum. Qui circa propria sensibilia potest decipi per accidens & ideo raro, Circa verò sensibilia communia per se, & ideo frequenter, Frequentius autem circa sensibilia per Accidens.

X.

LVx distinguitur essentialiter à Colore. Quæ neq; est Corpus, neq; aliqua Forma substantialis, neq; aliquid continens in se eminenter, qualitatem naturalem & intentionalem sed est Qualitas naturalis. Quam definiuit Aristoteles. Lux est actus Diaphani, secundum quod Diaphanum est. Estque necessaria ad visionem, non quidem ex parte obiecti, sed ex parte medij, in quantùm disponit illud, ad recipiēdas species intentionales immisas ab obiecto visibili.

XI.

POtentia visiua, cuius obiectum proprium & adequatum est color, subiectatur tum in pupilla, seu humore Cristalino in ea existente, tum in neruis Opticis. Et præcipuè in illa parte, in qua prædicti nerui coniunguntur.

XII.

AVditus vt ad obiectum proprium, terminatur ad sonum, qui vtcumq; per hoc describi potest. Quod sit qualitas sensibilis, resultans ex percussione forti corporum sonororum, & resilentia medij. Subiectum verò illius, non sunt corpora sonantia, sed medium resiliens. Quod

quidem non poteſt eſſe corpus denſum quatenus tale, ſed ſolus àér, ſi ſonus ſumatur ſecundum eſſe naturale, ſi verò ſecundum eſſe intentionale, etiam aqua.

XIII.

QVando producitur ſonus communicatur ſtatim medio tam ſecundum eſse naturale, quàm intentionale, licet vt audiatur iufficit, quod perueniat ſecundum eſſe intentionale ad aditum Echo generatur ex repercuſſione ſoni, ſocundum eſſe naturale. Licet etiam poſſet dici Echo, ille ſonus, qui ſecundum eſſe intentionale repercutitur, Et tunc non eſt diſtinctus à directo, ſed idem bis à ſenſu percipitur. Subiectatur autem auditus, in ſubſtantia àérea, intra aures reſidente, & neruis auditorijs.

XIV.

NAtura Odoris, vtcumque explicari poteſt, per hoc, quod ſit Qualitas ſecunda, reſultans, ex certo temperamento primarum, in qua ſiccum comprehendit humidum, Vt autem poſsit immutare intentionaliter ſenſum, requirit fumoſam euaporationum. Quam tamen non eſt neceſſe peruenire ad ſenſum. Organum odoratus ſunt Proceſſus mammilares.

XV.

SApor, qui eſt obiectum Guſtus, eſt paſſio facta à ſicco in humido, guſtus alteratiua, ſecundùm potentiam in actum. Cuius ſpecies ſeptem numerantur, ſcilicet dulce & Amarum, pingue & ſalſum, Acetoſum & Auſterum Ponticum ſeu Acutum. Reliqui autem ſapores ad has ſpecies reducuntur. Medium Guſtus, eſt Caro, tegens neruum guſtatorium. Qui per linguam ſparſus, & ad Palatum pertingens, efficit organum illius.

XVI.

SEnſus Tactus, eas ſolum percipit tangibiles Qualitates, quæ ſunt in obiecto externo, debite ei approximato, non

non tamen æquales, ſed vt ſunt exuperantes. Et ad immutationem ſui intentionalem, requirit primo immutationem naturalem. Medium illius eſt Caro, vt diſtincta à neruo tactorio, in quo Ratio Organi ſenſus Tactus conſiſtit.

XVII.

PReter hos autem ſenſus externos, ipſa experiẽtia docet, dari alios internos. Qui ſunt, ſenſus communis, immaginatiua ſeu Phantaſia, Æſtimatiua, & memoria. Qui non ſolum ab internis, verum etiam ad inuicem diſtinguuntur realiter.

XVIII.

ANima Rationalis eſt purè Spiritualis, incorruptibilis & immortalis. Cuius potentiæ, quæ in ea immediatè ſubiectantur ſunt intellectus & voluntas. Intellectus rurſum, ſubdiuiditur in Intellectum Agentem & poſſibilem. Primi munus eſt, abſtrahere ſpecies à Phantaſmatibus. Sècundi per eas intelligere.

XIX.

OBiectum Intellectus poſſibilis extenſiuũ ſeu eſſentiale eſt Ens ſeu verum in tota ſua latitudine acceptum. Proportionatum autem ſeu intenſiuum, pro hoc ſtatu eſt Quidditas materialis. Pro ſtatu verò ſeparationis Animæ à Corpori ſunt quidditates rerum immaterialium, quæ conueniunt in eodem gradu immaterialitatis cum Anima Rationali, à qua prædictus Intellectus dimanat.

XX.

INtellectus Poſſibilis, indiget ſpeciebus intelligibilibus. Quæ formaliter ſunt repræſentatiuæ, ſuorum obiectorum, eiuſdemque naturæ cum ipſis in ordine intentionali. Quarum impreſſæ influunt actiuè in Intellectionem nulla tamen ex eis, poteſt directè repræſentare ſingulare materiale. Licet hanc repræſentationem ſingularis materialis, forma-

lem, & quodammodo directam, speciebus, quæ relinquuntur, ex præcedenti intellectione concedamus. Vnde nec Intellectus noster pro hoc statu potest illud intelligere directè. Eiusq; operatio semper dependet ab operatione Phantasiæ.

XXI.

PRacticum & speculatiuum, non distinguunt Realiter Intellectum. Similiter quoq; ratio superior & inferior sed & Memoria, vt dicit vim conseruatiuam specierum, & attingendi obiectum, vt antea cognitum, non tamen vt præteritum est ipsamet potentia Intellectus Possibilis.

XXII.

SPecies intelligibiles, quæ relinquuntur ex præcedenti intellectione, & quæ immediate fiunt, per abstractionem intellectus agentis, procedunt actiue, ab eodem Intellectu agente & Phantasmatibus, ab illo quidem vt à Causa Principali, ab istis verò vt ab Instrumentis. Inter quæ hoc tamen notatur esse discrimen, quod priores procedunt ab ipso mediate, posteriores verò immediatè.

XXIII

INtellectio licet non sit actio, de Prædicamento Actionis, sed de Prædicamento Qualitatis, est tamen vera Actio. Quæ non solùm formaliter, verùm etiam tanquam res à re distinguitur à verbo seu specie expressà. A Dictione verò, nonnisi formaliter modaliter. Quandoquidem dictio, solum modum quendam fæcunditatis addit supra intellectionem. Ex hoc tamen non sequitur quamlibet intellectionem creatam producere verbum.

XXIV.

VOluntas, quam imperfectiorem Intellectu esse asserimus. Licet sit libera, necessitatur tamen, circa Bonum in communi, necessitate quoad specificationem. Circa Bonum

ca Bonum tamen in particulari, prout consideratur in via necessitati non potest.

XXV

INtellectus & Voluntas, omniaq: Accidentia, tàm Spiritualia quam materialia, indiuiduantur à subiecto formaliter sumpto. Quantitas tamen, hoc sibi speciale vendicat munus, vt non solùm à subiecto verum etiam à seipsa indiuiduetur. Ac proinde duo Accidentia solo numero diuersa, etiam per absolutam DEI potentiam in vno eodemq; formaliter subiecto non posse esse affirmamus.

XXVI.

SVbstantiarum verò materialium prima radix Indiuidutionis, non est Forma substantialis, vel materia prima nude sumpta, vel eadem cum Quantitate formali, vel cum quodam modo substantiali, ab eadem & Quantitate resultante. Sed ipsa materia signata Quantitate, seu quatenus præhabet, hanc potius Quantitatem, quam illam.